

INDEX LECTIONUM



IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBRIIS ANNO MDCCCXXI.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXII.

INSTITUENDARUM.



CRACOVIAE.

TYPIS ACADEMICIS.

Civibus Litterarum Studiosis

S. P.

Universitatis Studiorum Igellonicae Cracoviensis

PRO

RECTORE

SEBASTIANUS GIRTLER

PHIL. ET MED. D. FAC. MED. DECANUS.

Cum Senatu Academico.

Guentherum Zainerum Reutlingensem civem primo Cracoviae, deinde Augustae Vindelicorum typographum, apud nos Cracoviae a. 1465 Joannis de Turrecremata explanationem in psalterium typis mandasse conjecturam fecit Georgius Guil. Zapfius Norimbergae a. 1803. quem librum alii Cressiaci (Cressy) aut Crojae s. Croviaci (Croy) in Gallia proditiis censuerunt Nos vero jure Cracoviae nostrae librum eundem vindicari posse autumavimus, quum praeter exemplar a Zapfio memoratum, nullum tere aliud alibi inventum fuerit, quam in Polonia. Nam et Vindobonense exemplar in Caesarea Bibliotheca asservatum, de quo mentionem facit Denisius Leopoli Vindobonam translatum fuit, et duo Cracoviensis Universitatis literariae exemplaria et sex Varsaviae, et duo, quae olim in Bibliotheca Monasterii Ord. S. Benedicti Tynieciae exstabant, simul evincere id videntur: librum hunc non nisi in Polonia typis excusum fuisse, qui non 149, sed 150 foliis constans, semel tantummodo Cracoviae, vulgatus in fine inscriptus est: *Johannis de Turrecremata Cardinalis S. Sixti vulgariter nuncupati explanatio in Psalterium finit Cracis.* Cracoviam autem illis temporibus et Cracos appellatam fuisse docent nos aliquot Codices Manuscripti Bibliothecae nostrae v. g. Tabulae Astronomicae Alphonsi regis post a. 1428 scriptae, ubi vocabula Craci et Cracovia promiscue occurrunt. Exemplari vero e Coenobio Miechoviensi Canoniceorum Custodem S. Sepulchri Varsaviam allato uni haec adscripta sunt verba: *a. 1476 per fratrem Andream Cruciferum Monasterii Myeshoviensis Ord. sancti sepulchri dominici Jerosolimitani degentis tunc temporis in Przeworsko [(est oppidulum Polonicum trans Vistulam situm) sub regula S. Augustini tondam Cantoris Chori ej. Monasterii Myeshoviensis.* His verbis et conjectura Georgii Wilhelmi Zapfii confirmatur et secundo

do-inventae typographiae decennio librum impressum fuisse proditur. Quem enim Denisius stylo cerussato annotavit in Vindobonensi exemplari annum 1471 jure rejecimus, quia jam a. 1468. Guentherus Zainerus Augustae Vindelicorum typographicam artem exercebat. Attamen fieri potuit, ut et alios codices hic apud nos excusserit, ad quos sequens aliquot opusculorum S. Augustini forsitan princeps editio pertinere videtur, quae iisdem, quibus explanatio in Psalterium Joannis de Turrecremata expressa est typis, et literarum compendiis, eadem forma et eadem papyro lineata cum signo bovis corauti crucem in capite inter cornua gerentis lineis 40 sine custodiis, paginis, caractere Gothico, foliis 173. In fronte hujus libri a nemine hucusque laudati: *Omnes libri Beati Augustini Aurelii de doctrina christiana tres. Preter quartum, qui tractat de modo pronunciandi sermones Catholicos.* Folio 34. verso, linea 36. *Incipit liber Aurelii Augustini de natura summi boni.* Fol. 44. verso, linea ultima s. 40: *Incipit liber de Laude et Utili.* Fol. 46. v. 26: *Incipit Liber Beati Augustini de vera ac falsa penitencia.* Fol. 57. v. 20: *Incipit speculum sive manuale S. Augustini.* Fol. 71. recto: *Liber de contemplatione Jesu Christi, in fine hujus libri versu 31. Explicit liber beati Augustini de contemplatione Christi.* Reliqua hujus folii sunt vacua; at folio 77. recto: *liber Augustini de fide ad Petrum et de Trinitate.* Fol. 91. ver. 10. *Incipit regestrum Soliloquii.* Fol. 92. *Incipit Liber Soliloquiorum.* Fol. 113. verso: *Explit (sic) Soliloquium beati Augustini.* Tum folio 114. recto: *Incipit liber de honestate mulierum ad Clericos.* Folio 115. verso: *Incipit Liber Augustini de contemptu mundi.* Fol. 118. recto: *Incipit Liber Augustini de Correctione et Gracia.* Fol. 133. verso . . . de Simbolo. Fol. 137. verso l. 19: *Incipit Augustinus de Disciplina Christiana.* Fol. 142. recto . . . de cura Mortuorum. Fol. 151. *Incipit liber beati Augustini de conflictu viciorum et vir.* Fol. 159. recto: *Sequitur Augustinus de predestinatione Sanctorum.* Fol. 173. recto lin. 34. *Explicit Augustinus de predestinatione Sanctorum.* Haec principis patrum et doctorum ecclesiae sedecim opuscula in uao Codice utrum Cracoviae prodierint in lucem, nec ne, non est nostrum omnino contendere, sed apud nos prodierit vero tamen non est absimile, quia magna apud nos S. Augustini fuit auctoritas, ita ut Bibliotheca Universitatis nostrae majorem operam sex editionibus principibus partem inter cuncta sua adserver. v. gr. de doctrina Christiana Panzer Annal. ante a. 1466. typis Jo. Mentelini Argeatorati I. 67. 388. *κτμπα* Johannis de Pyzdry Concionatoris ad S. Barbaram a. 1470 Cracoviae. Item eundem librum ex ed. Johannis Fust. Panzer II. 138. 93. Est nobis quoque de Civitate Dei Jo. Mentelini editio Panzer. I. c. l. 68. 394. *κτμπα* Johannis de Pyzdry defuncti a. 1472. ubi minio in fronte libri a. 1470. positus: De festo praesentationis b. Mariae Virginis. ed. Moguntina Joh. Fust. Panzer II. 140. caractere biblicorum a. 1462. Soliloquium, quod Panzerus V. p. 58. l. 152. 136. 5. Gaenthero Zainero Augustae Vindelicorum tribuit. Item: Speculum peccatoris. ib. de Meditatione, Panzer I. 95. 507. de civitate Dei. ed. II. apud Petram Schoiffer 1473. Panzer II. 1. 24. Epistolarum editio Menteliana ib. I. 68. 392. de trinitate I. 94. 506. ut alias incertas et rarissimas omittamus editiones, de quibus loqui operae pretium esset.

Sunt nobis quoque Statuta Synodalia Wratislaviensia editione Norimbergens a. 1512 longe vetustiora, forsitan a. 1470 aut 1475 edita, in quibus primum in lucem data est Polonice: oratio dominica, cum salutatione angelica b. Virginis, et symbolo apostolico, sed pro dolor exemplar mutilum, non dissimile tamen Statutis Synodalibus Rudolphi Episcopi Wratislaviensis 4to, quae Joannes Wilhelmus Oelsnerus Vir celeberrimus, Regi Borussiae a commerciis Wratislaviae in privata Bibliotheca possidet, in quorum fine: *Que una cum statutis dnor. Petri et Rudolphi Episcopi Wratisl. pro laude Dei communique utilitate cleri in alma urbe Wratisl. per C. Elyan Collegiate &c. s. Crucis ibid. Succentorem. Impressa et feliciter consummata sunt A. D. MCCCC LXXV. nona vero die Mensis Octobris. Sit laus Deo.* 4to fol. 25. lin. 23. in prima, 24 in cæteris paginis, sine custod. typis Goth. similibus iis, qui in Statutis Wratisl. nostris occurrunt.

Sueboldi Fioli primi Cyrillicarum literarum typographi, civis nostri Cracoviensis editiones librorum Slavonicorum jam innotuerunt exemplaria quatuor. 1) Johannis Damasceni Octoechos. a. 1491. qui Vratislaviae in Bibliotheca Rhedigeriana ad S. Elisabetham exstat. 2) Psalterium, eod. a. quod est Petropoli in Bibliotheca Imperatoria. 3) Czasosiewiec s. Horarium, vid. Dissertatio viri doctissimi Dni Kalaydowicz in Ephemeridib. Petropolitanis Wiestnik Europy. N. 18. R. 1819. in Bibliotheca illustrissimi Comitis Tolstoy. 4) Triod cwiernaja s. Triodion a die palmarum ad octavam pentecostes in Bibliotheca Viri inter doctissimos excellentissimi Comitis Nicolai Rumianzow Magni Cancellarii Imperii Russici Petropoli cujus munificentia et, quae cognovimus de his libris accepta tulimus. His autem addimus 5) folium unum Triodii quadragesimalis Triod postnaja, tandem repertum esse in compactura libri medici Petri de Apono, qui inscriptus est: Conciliator Venetiis 1485. Panzer III. 118. 250. Cæterum Fiolos gentem nobilem in Polonia fuisse docet Paprocius a. 1584 in libro Herby Ryc. Pol. p. 506. ubi Suetoslaus Phiol testis a. 1467. in privilegio, quod oppido Żerniki datum fuit. Venetiae igitur, ubi in usum Slavorum Montem Nigrum incolentium Octoechos S. Johannis Damasceni typis Cyrillicis a. 1495 impressus fuit, ut Cracoviae palmam primae typographiae Slavonicae cedant, necesse est. Johannem Hallerum autem, qui priusquam Cracoviae a. 1503 officinam typographicam instituisset, Norimbergae apud Georgium Stuchs a. 1495 Missalia Cracoviensia, alia vero opera Lipsiae et Metis et alibi imprimenda curaverit, Rotenburgae (forsitan ad amnem Tauberrum) in Franconia natum fuisse edocti sumus, a Viro celeberrimo, Illustrissimo Comite Josepho Maximiliano Ossoliński, qui in Bibliotheca sua amplissima Vindobonae primam logices Michaëlis de Vratislavia habet editionem non a. 1509, ut vulgo credebatur, sed a. 1504 evulgatam. 4to typ. Goth. foliis 28 sine pagg. custodd. sign. a — e 2. In fronte libri: *Congestum Logicum. Insignia Poloniae, Lithuaniae, et sub his Cracoviae.* Folio verso: *epistola Auctoris ad Jo. Hallerum.* In fine vero: *Congestum Logicum Cracoviae impressum impensis providi viri Joannis Halleri de Rotenburga civis Cracoviensis, arte autem solertis viri Casparis Hochfeder de Hayligprunn. Anno Domini 1504. octavo vero Kalendas Marcii. Laus Deo.*

His paucis praemissis, Juvenes ornatissimi, restat, ut vos ad altiora litterarum studia adhortemur, quae, si cui verus litterarum et disciplinarum circum praecordia fuerit sensus, tantae sunt cuilibet dulcedinis et suavitatis, ut certe nulla admonitione egregio animo ad ea sit opus. Quam immensi sint vel humanae scientiae fines, experientia nos quotidiana docet, nam in omnibus disciplinis nova indies inveniuntur doctrinae augmenta. Quot sacrae theologiae sunt inexhausti fontes, quae Jurisprudentiae adminicula et nova subsidia, ut de noviter repertis Gaii institutionibus taceam, et quam innumera sunt nova in physis, mathematicis et in medicina excogitata et inventa. Eximios vero progressus in Chemia, quae analysim elementa rerum naturalium plurima non simplicia, sed composita esse demonstravit, unde maxima emolumenta ad omnes disciplinas redundaverunt, si quis soli curiositati inepte tribuerit, is certe vehementissime erraret, indigne, qui utilibus doctrinae hujus repertis frueretur; at sunt, qui nova inventa parvi faciant, quorum utilitas incerta aut nulla esse primo intuitu videtur. Sed in novis inventis non utilitas sola spectanda est, sed videndum est augmentum scientiae, nam et ea, quae primo adpectu inutilia esse putantur, eadem ad utilissimas interdum ferre solent eventus, quod in navigationibus, in aerostatica et sexcentis aliis expertum habemus. Sed quo amplior est scientiae ambitus, quo latiores sunt disciplinarum fines, eo magis nobis insistendum est, ut indies doctiores evadamus. Non est igitur hodie facilior ad altiora studia ac olim via, nam ipsa adminiculorum et subsidiorum multitudinae laboramus. Nec est tamen, quod nos ab assidua diligentia id avertat, sed immo, ut calcaria animo nostro addat, necesse est. Quo facto adjuvante Dec Optimo Maximo felicem studiorum successum nobis polliceri pro certo possumus.

[Baudhu]

ORDO THEOLOGORUM.

Matthaeus Kozłowski, Ord. Praed. S. Theol. D. Hist. Eccl. P. P. O. h. t. Fas. Theologiae Decanus.

Hor. mat. 10—11. quotidie, die Jovis excepto, exponet Historiam ecclesiasticam methodo Alberi.

Florianus Kudrewicz, Ord. S. Basilii M. S. Theol. D, S. Script. Prof. P. O.

Horis mat. a 6—10 exceptis diebus Jovis, quotidie praemissis Antiquitatibus biblicis V. T. spectantibus duce Jahn, tradet Hermeneuticam generalem e proprio Commentario; tum quantum per tempus licebit, Psalmos sacros interpretabitur.

Horis mat. ab 8—9 Theologiam dogmaticam tradet.

Nicolaus Janowski, S. Theol. D. Prof. Theol. Moral. et Pastoral. et Eloquentiae Sacrae P. O. Can. Cath. Eccl. Crac.

Horis pom. 1—2 iisdem diebus quinis per hebdomadam, scilicet die Lunae, Martis, Mer-

curii, Veneris et Saturni tradet Theologiam moralem ad mentem legis naturae et evangelicae. Idem praeleget etiam Theologiam pastorem, et praecepta eloquentiae sacrae docebit.

ORDO JURIS - CONSULTORUM.

Felix Słotwiński, Phil. et J. U. D. P. P. O. h. t. Fac. Jurid. Decanus.

Hor. pom. 3—4 quotidie, excepto die Saturni Jus naturae universum, privatum, civitatis et gentium, nec non Methodologiam et Encyclopaediam Juris docebit.

Hor. mat. 8—9 diebus Lunae, Mercurii et Saturni Jus ecclesiasticum tradet.

Valentinus Litwiński, J. U. D. Prof. P. O.

Hor. pom. 5—6½ quotidie exceptis diebus festis et Mercurii, semestri hiemali, Codicem judicarium civilem in Regno Poloniae vigentem, explicabit et quae e Codice civili Austriaco judiciario et legibus antiquis Polonicis huc pertinent, simul exponet, semestri autem aestivo jus criminale juxta textum Codicis Criminalis Austriaci cum applicatione Codicis criminalis Polonici tradet.

Adamus Krzyżanowski, J. U. D. Prof. P. Ord.

Hor. 8½ ad 10 quotidie, diebus festis exceptis, Historiam Juris antiqui Polonici, deinde Codicem civilem in Regno Poloniae vigentem, ratione Codicis Civilis Austriaci et legum antiquarum Polonicarum habita, tum Codicem Mercantilem, qui in Regno Poloniae obtinet, cum applicatione legum, quae apud Gentes vicinas in usu sunt, explicabit.

Augustinus Bdurzyński, J. U. D. P. P. O. Reipubl. Crac. Senator.

Hor. pom. 5—½ Historiam Juris Romani, Institutiones Justinianae cum provocatione ad Pandectas et Codicem Repetitae Praelectionis, tandem Jus Feudale tradet.

Nicolaus Hoszowski, J. U. D. Prof. P. O. Reipubl. Cracoviensis. Senator.

Horis mat. 9—10 diebus Martis, Jovis et Veneris, 9—10 diebus Lunae, Mercurii et Saturni disciplinas politicas tractabit, scilicet: primum Oeconomiam Nationum puram, deinde Oeconomiam politicam et Doctrinam reddituum s. Financiarum vulgo dictae, nec non Politiae, ac tandem theoriam Agriculturae et Constitutionis Regni Poloniae Liberaeque Civitatis Cracoviensis.

ORDO MEDICORUM.

Sebastianus Girtler, Phil. et Med. D. Politiæ medicæ, historię medicinæ et institutionum medico-chirurgicarum P. P. O. h. t. Facultatis medicæ Decanus, Senator Reipublicæ Cracoviensis.

Hor. $\frac{1}{2}$ 12—12 $\frac{1}{2}$ diebus Martis, Jovis et Saturni Politiâ medicinalem ex propriis scriptis Lingua Polonica tradet. Deinde ad praelegendum de Historia medicinæ pariter ex propriis scriptis secundum ordinem variarum theoriarum et systematum cum necessaria recensione accedet, idque Latino idiomate. Hisce diebus ab hora 5 ad 6 $\frac{1}{2}$ Institutiones medico-chirurgicas, incipiendo a Physiologia Pathologiam Diæticam, materiem medico-chirurgicam, tum Therapiam generalem et specialem Chirurgicam, compendiose lingua vernacula exponet.

Adalbertus Georgius Boduszyński, Med. D. Pathologiæ et Therapiæ tam gen. quam spec. P. P. O. Reip. Crac. Protomedicus.

Hor. mat. 10—11 diebus Lunæ, Mercurii et Veneris Lingua Latina Pathologiam generalem explicabit, diebus Martis, Jovis et Saturni hor. mat. 10—11 $\frac{1}{2}$ doctrinam de Therapiâ generali et speciali tradet.

Ignatius Woźniakowski, Medicinæ Doctor, ab Augustissimo Caesare Austriae, Rege Apostolico, Honoris Numismate ornatus, vices gerens Decani Facultatis Medicæ, P. P. O.

Diebus Lunæ, Mercurii et Jovis ab hora 4 ad 5 post meridiem idiomate latino materiam medicam, diebus Martis et Veneris eadem hora Artem obstetriciam theoreticam idiomate polonico praeleget, ac denique diebus Lunæ, Mercurii et Jovis ab hora 8 ad 9 Chirurgiam theoreticam tradet.

Josephus Sawiczewski, Med. D. Pharmaciae P. P. O.

Diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis ab hora 9 matutina ad 10 Pharmaciam docebit, qua finita Toxicologiam explicabit.

Josephus Kozłowski, Med. D. Anatomiae et Physiologiæ P. P. O.

Anatomiam et Physiologiam tradet idiomate Polonico diebus Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ab hora 12 ad 1 verum Medicinam forensem ab hora 3 ad 4 diebus Veneris post meridiem.

Ignatius Lienhard, Med. D. P. P. O.

Horis mat 8—9 quotidie in Nosocomio Latine et Polonice explicabit morbos aegrotorum, qui in instituto clinico curantur.

Horis pom. 5—6 diebus Lunæ, Mercurii et Veneris artem veterinariam tradet.

Xystus Lewkowicz, Med. et Chir. D. S. Annae Illtiae Classis et Legionis Honoris Eques, Chirurgiae Practicae P. P. O.

Hor. pom. 3—4 diebus Martis, Jovis et Saturni in curationibus chirurgicis rite instituentis Auditores ad praxim formabit.

Horis

Horis matutinis 8—9 Hiemali, Semestri, Vernali et Aestivo a 7 ad 8 Clinicam chirurgicam dace Richerand, obstetriciam vero ducibus Baudeloque, Boér et Widman quotidie exhibebit.

Julianus Sawiczewski, Med³ D.

Horis pom. 2—3 diebus Martis et Saturni tradet Macroboticam.

ORDO PHILOSOPHORUM.

I) FACULTATIS MATHEMATICAE ET PHYSICAE.

Romanus Markiewicz, Phil. D. P. P. O. Decanus h. t. Fac. Phil. Math. et Phys. Reip. Crac. Senator.

Horis mat. 9—10 quotquot diebus, festis exceptis, Physicam experimentalem ad normam sui proprii opusculi in usum Lyceorum conscripti, addens huic addenda e tractatu physices Bioti docebit. Cursu vero aestivo iisdem horis Geographiam physicam, duce Joanne Śniadecki tradet.

Juvenibus profectoribus, qui elementis Matheseos sufficienter imbuti sunt, diebus Lunae et Saturni hor. 2—3 difficiliore, ubi necesse fuerit, calculos Physices extricandos, et experientias longiusculas ac praecipuas, oculis tempore commodiori subijciendas, curabit.

Felix Radwański, Phil. D. Mechanices et Hydraulices, Prof. emeritus, Reip. Crac. Senator.
Diebus festis horis pom. 2—4 scientiam muniendarum viarum tradet.

Aloisius Estreicher, Phil. et Med. D. P. P. O.

Hor. mat. 10—11 quotidie exponet Zoologiam per semestre hiemale ducibus Cuvier, Ocken, Illiger, Lamarck et aliis, qui hac de re tractarunt.

Hor. mat. 7—8 Botanicam tradet per semestre aestivum.

Hor. pom. 2—3 diebus Martis et Jovis tradet doctrinam de generis humani varietate nativa per semestre hiemale.

Hor. pom. 6—8 exercitationes botanicas instituet, et ad botanices practicae usum manu ducet, atque dendrologiae rudimenta exponet per semestre aestivum.

Carolus Hube, Phil. D. P. P. O. Matheseos sublimioris.

Hor. mat. 8—9 quotidie exceptis diebus Saturni tradet Analysin algebraicam, trigonometriam sphaericam et geometriam analyticam, praecipue theoriam superficierum secundi gradus, duce Hachette.

Hor. mat. 9—10 diebus Martis, Mercurii et Veneris calculum differentialem et integralem, cum quibusdam applicationibus ad Physicam docebit.

Josephus Łęski, Phil. Dr. Astronomiae Professor P. O.

Hor. mat. 9—10 semestri altero introductionem in disciplinas astronomicas repetet, quae Polonice in lucem edita est, altero vero ducibus Delambre et Biot supplebit, quae ad scientiam astronomicam praecipua sunt praeceptorum capita. Tum duce Puissant disciplinam mappas topographicas delineandi compendiose explicabit.

Josephus Markowski, Phil. et Med. D. Professor Chemiae P. O.

Hor. 11—12 quotidie exceptis festis Chemiam docebit.

Hor. 9—11 diebus Solis Mineralogiam.

Franciscus Sapalski, Phil. D. Professor Geometriae descriptivae P. O.

Horis 12—1 $\frac{1}{2}$ Geometriam descriptivam tradet theoreticam et accommodatam perspectivae umbrarum, artibus fabrilibus et gnomonicis, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis.

Hor. 12—1 diebus Veneris et Saturni Mechanicam et Hydraulicam per semestre aestivum.

Hor. pom. 2—3 diebus Solis tradit opificibus et artificibus Architecturam et Mechanicam practicam.

Franciscus Szopowicz, Prof. P. O.

Hor. mat. 8—9 quotidie, exceptis diebus Saturni, Mathesin inferiorem i. e. Arithmeticam, Algebram, Geometriam elementarem cum practica et analytica explicabit duce Lacroix.

II.) FACULTATIS LITERARIAE.

Hermannus Schugt, Phil. D. Linguae Graecae P. P. D. h. t. Fac. Phil. Lit. Decanus.

Horis pom. 2—3 diebus Lunae, Martis et Mercurii explicabit Xenophontis Cyropaediam.

Horis iisdem diebus Jovis, Veneris et Saturni Horatii Satyras et epistolas.

Horis pom. 3—4 styli cultioris linguae Graecae praecepta perfectionibus tradit.

Julianus Czermiński, Phil. D. Professor Historiarum P. P. O.

Hor. mat. 11—12 quotidie, diebus Ven. et Sat. etiam a 5 ad 6 pom. enarrabit historiam antiquiorem et recentiorem. II.) Geographiam physicam et politicam. III.) docebit artem criticam, quae ad legendos historicos est necessaria. IV.) literarum et scientiarum progressum demonstrabit.

Georgius Samuel Bandtkie, Phil. D. Prof. Bibliographiae P. O. et Bibliothecarius.

Hor. pom. $\frac{1}{2}$ 2—3 die Mercurii, Veneris et Saturni Bibliographiam profitebitur.

Collegium styli cultioris duce Beckio (Artis Latinae scribendi praecepta Lipsiae 1802.) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet diebus Martis, Jovis et Veneris hor. 7 $\frac{1}{2}$ —9. Mensib. Januario, Febuario, Martio etiam horis vesp. 6—7 diebus Lunae, Martis et Jovis.

Idem semestri aestivo horis definiendis, comparisonem dialectorum Slavicarum e suppellectile sua qualicunque literaria Slavica juvenibus vernacularum linguarum philomathibus ostendere conabitur.

Paulus Czaykowski, Phil. D. Literaturae Polonicae P. P. O.

Hor. mat. 10—11 traditis praeceptis eloquentiae et praescos, per classicorum Auctorum

exempla illustratis, Auditores ad exercitia Linguae Patriae in utroque orationis genere ducet.

Guilhelmus Münnich, Phil. D. Prof. Linguarum Orientalium P. O.

Linguam latinam una cum linguis Orientalibus docebit diebus Lunae, Mercurii et Veneris hor. 12—1½. Diebus Martis, Jovis et Saturni hor. 11—12½.

Idem semestri aestivo Antiquitates Romanas explicabit.

Josephus Jankowski, J. U. et Phil. D. P. P. O.

Hor. pom. 3—4 quotidie docebit Logicam, Metaphysicam, Ethicam et Paedagogicam. Diebus Martis et Saturni mane hor. 7—8 Historiam Philosophiae.

Leatorium in Bibliotheca publica Univ. Cracov. patebit hor. pom. 2—4 hyemali; hor. 3—5 aestivo semestri, diebus Lunae, Martis et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, Speculam Astronomicam et Hortos Botánicos invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum Bibliothecario et Praefectis Museorum Mineralogici, Zoologici et Hortor. Botan. condonare velint. Quovis tempore de commoda hora certiores facti, curiosi hospites nunquam deerunt. Museum Physicum patebit curiosis, qui adesse dignabuntur, hora 10 matutina, finita praelectione.

Docebunt artem pictoriam *Josephus Peszke*, Prof. P. O. et *Josephus Brodowski* Prof. P. O. semestri brumali horis mat. 10—12, semestri aestivo 8—12. Linguam Anglicam tradet *Hermannus Schugt* hor. 3—4, Germanicam *Ludovicus Teichmann* horis pom. 4—5, Italicam *Stephanus Laberi* quotidie hor. pom. 5—6. Artem saltandi quater per hebdomadam *Petrus Couder* hor. pom. 4—5. Artem equitandi *Theodorus Cogh* hor. pom. 2—3.
